



# Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/341835>

4

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
USUFRUCTU,

QUAM  
FAVENTE DEO OPT. MAX.  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*  
D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiae ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis,

*Eruditorum disquisitioni subjicit*

JACOBUS SANDERS BISSCOP, Mediob. Zell!

*Ad diem 20. Maji, loco horisque solitis.*



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lbc Lxxxvi.

*Amplissimo honorum luce Præclaro, ac Genero-  
sissimo VIRO Domino*

**D. PETRO DUIVELAAR,**  
Nuper civitatis Medioburgensis Consuli, dein in Con-  
cessu Celsissimorum ac Præpp. D. D. Ordin. Gener.  
Fœderati Belgii Deputato ordinario, nunc vero Me-  
dioburgi Consuli, Societatisque Orientalis Directori,  
ac D. D. ordin. Comitatus Zelandiæ Rerum feuda-  
lium quæstori Vigilantissimo Cognato suo.

NEC NON

*Spectatissimis Consultissimis Gravissimis VIRIS*

**D. ABRAHAMO SANDERS BISSCOP,**  
J. U. D. & in Curia Hollandiæ Caufarum Patrono di-  
sertissimo fratri ac Tutori suo, omni fraterno amore  
colendo.

**D. ANTHONIO ROMBAUTS,**  
J. J. & P. P. Ordinum Comitatus Zelandiæ Graphiario,  
affini suo, omni affinitatis ac fraterno amore venerando.

**D. FREDERICO RAPHOEN,**  
apud Amstelodamenses Mercatori Vigilantissimo,  
agnato suo amantissimo.

**D. PETRO DUIVELAAR,**  
In Ecclesia Waldensi quæ est Medioburgi Pastori fide-  
lissimo Cognato suo.

*Hanc disputationem Inauguralem sacram facit  
debita cum reverentia.*

J. S. BISSCOP. Auct.

# PROOEMIUM.



*I*N divisione rerum considerantur res vel Corporales vel Incorporales. Corporales; quæ natura sua tangi possunt, Incorporales, quæ non possunt: & in Jure constitunt, inter quas (nimirum incorporales, enumeratur servitutes, quæ duplices considerantur. Una, qua homo homini servit de qua l. 4. §. 1. ff. de statu homin. Alia quæ ad hominis imitationem in rebus amissa quasi libertate, constituitur D. D. Zoësius ad h. t. nu. 1. de qua dicitur in definitione quod sit jus, quo res aliena Personæ vel Rei nostræ utilitatem adfert. Schottan. h. t. & dividitur in Personalem, qua res Personæ servit vel Realem qua res rei servit. Ad Personales autem referuntur, Ususfructus, Usus & habitatio de solo Ususfructu agere proposui Ordine igitur ut procedamus, Videndum, quid sit Ususfructus tum in genere, tum in specie, quomodo dividatur, quomodo, & per quos acquiratur & constituatur, quis effectus, quomodo finiatur.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,

DE

USUFRUCTU.

THESIS I.



**U**T à Principio aggrediamur, dicendum quod Ususfructus in genere, sit jus percipiendi fructus ex re aliqua, sive propria jure domini, sive aliena jure servitutis unde à D. D. dividitur in Causalem qui cum sua causa seu proprietate conjunctus est, sed non refertur ad servitutum genus *l. 21. §. 3. ff. de Except. Rei judic.* & in formalem qui à sua causa seu proprietate separatus est & Recte ad servitutum genus refertur *l. 126. §. 1. ff. de V. O. & §. 1. inst. h. t. l. 1. ff. cod. de qua hic agere proposui, & definitur quod sit jus alienis rebus utendi fruendi salva earum substantia d. l. 1. ff. & §. 1. inst. h. t.*

II.

Hic autem Ususfructus est Personalis Servitus, ita cohærens Personæ, ut ab ea separari non possit *l. 1. ff. de servitutibus & l. 25.*

*l. 25. ff. V. S.* Nomen vero accepit, vel ideo, quia cum Persona extinguitur, vel à Persona cui debetur non vero à prædio serviente *l. 3. §. fin. ff. quibus mod. usufr. amittatur & l. 16. Cod. h. t.*

III.

Est autem Ususfructus, *Jus*, habita relatione ad usumfructuarium, nam respectu ejus qui debet non est jus, sed servitus; Natura autem servitutum in eo non Consistit, ut faciat quis quid, sed ut patiatur vel non faciat *l. 15. §. 1. ff. de servitut.*

IV.

Dico *alienis rebus*, quia Commune est omnium servitutum, quod res sua nemini servit *l. 5. ff. si usufr. petat. l. 26. ff. de S. P. U.* habet autem Dominus quidem jus, utendi fruendi re sua, sed non separatim à jure dominico, & ideo alienis rebus, quia qui Ususfructum habet, proprietatem non potest habere *l. 25. ff. de V. S.*

V.

*Utendi fruendi*; utendi, ad differentiam Pignoris quod traditur Creditori, qui eo uti non potest invito debitore, *fruendi*, ad differentiam usus, quoniam minus juris in usu quam in Ususfructu est. Nam Ususfructuarius consequitur omnes fructus *l. 7. & 9. ff. h. t.* Usuarius tantum eos, qui vitæ ac necessitati quotidianæ sufficiant *l. 12. §. 1. ff. de usu & habit.* Ususfructuarius etiam potest jus quod habet alicui vendere, locare, gratis concedere *l. 12. §. 2. & l. 38. ff. h. t. & §. 1. Inst. de usu & habit.* Usuarius nequaquam *l. 8. ff. eod.* Ususfructuario pro parte jus constitui potest, ideoque recte ususfructus dicitur *viduus*

6 DISPUTATIO JURIDICA

viduus l. 5. ff. de Usufr. minime Usuario l. 19. ff. de usu & habitat.

V I.

Additur postremo, *salva earum substantia*, quibus verbis Verus à quasi Usufructu distinguitur, & natura rerum in quibus Usufructus constitui potest, significatur, quæ sc. ejusmodi esse debet, ut earum substantia non Consumatur, nec forma transmutetur l. 13. §. pen. ff. h. t. etiamsi Proprietarii Condicio inde melior futura sit, l. 7. 8. & 44. ff. eod. fructuarioque officium inculcatur id est, se boni Viri arbitrato usurum, de quo suâ satisfactione cavere usufructuarius debet l. 1. ff. quibus mod. usufr. Caveat.

V I I.

Acquiritur autem Usufructus per easdem Personas quibus dominium, hoc est non tantum per nosmet ipsos, sed & per eos quos in potestate habemus: per filios tantum ex profectio & adventitio l. 21. & seq. ff. de usur. l. 6. & t. t. Cod. de bon. qua lib. nisi lege vel testamento aliter cautum sit l. ult. Cod. eod.

V I I I.

Ut Usufructus constituatur, duplex Considerandus vel legalis vel Conventionalis D. D. *Joannes del Castillo sottomajor in tractatu suo de usufructu Cap. 2. n. 8.* Ubi Legalis dicitur, ille, qui juris potestate & dispositione, inducitur & absque aliquo facto seu dispositione hominis defertur: de quo duplex exemplum Prius, cum Conjuges ad secundas nuptias transeuntes liberis prioris matrimonii extantibus tenentur reservare, non solum omnia bona quæ habuit Conjux a priori marito seu uxore titulo quocunque lucrativo, sed etiam quicquid per successionem ab intestato filiorum primi matrimonii consecuti sunt, solo usufructu

Et ut istorum bonorum penes ipsum permanente *l. 3. §. 6. & Auth. seqq. Cod. de secundis Nuptiis & l. 5. Cod. SC. Terryll.* Si vero filii prioris matrimonii non existunt, nec mulier nec vir perdit secundis nuptiis ea, quæ titulo lucrativo vel ex successione filiorum à priori marito vel uxore habuit *d. l. 3. §. 1. Cod. secund. nupt.* Si mulier post Conjugis obitum castitatem non servaverit & undecimo mense pepererit & proprietates & ususfructus cadet *Nov. 39. Cap. 2.* Uxori superstiti, inopi, & indotatæ sæpe Ususfructus partis bonorum quæ mariti fuerunt datur *Nov. 117. Cap. 5.*

I X.

Alterum Legis Exemplum consistit in eo quod Patri quoque in bonis adventitiis filii fam (nisi ipsi ea conditione quid datum sit, ne Pater ususfructum habeat) *Nov. 117. Cap. 1.* ususfructus conceditur, non vero plenum dominium *l. 6. & 8. Cod. de bon. quæ liber.* in Emancipatorum bonis non tertiam partem domini ut olim, sed dimidiam tantum Ususfructus habebat pater *§. 2. inst. per quas Pers. cuique acquir. l. 6. §. 3. Cod. de bon. quæ lib.*

Conventionalis Ususfructus est ille qui sumit initium ex hominis dispositione & constitutione, vel publici vel privati. Publici, ex Judicis officio, in judiciis divisorii, ut familiæ Exciscundæ & communi dividendo, in quo uni proprietates alteri ususfructus adjudicatur *l. 6. §. 1. ff. h. r. l. 6. ff. fam. Exciscunda & l. 6. §. 10. ff. Communi. divid.* Privati iterum vel inter vivos vel ultima voluntate: inter vivos, sæpe enim pactioibus hi & stipulationibus Servitutes promittunt, quæ tum demum constitutæ intelliguntur & actione in rem Confessoria Vindicari possunt, cum quasi traditio, (veluti usus, Cautio aut Cessio, in jure accessit *l. ult. ff. de servitut. l. 3. ff. de obl. & act. l. 11. §. 1. ff. de Publ.*



## 8 DISPUTATIO JURIDICA

*Publ. in rem. act.* sepe etiam usucapione & longi temporis præscriptione constituuntur *l. ult. Cod. longi temp. præsc. & l. 20. Cod. de pact.* Ultima denique voluntate sive pure sive sub conditione sive ex die sive ad diem *l. 3. & 4. ff. h. t. & l. 16. ff. quibus mod. usufr. amittat.* Quod si uni fundus, alteri Ususfructus legetur concurrunt ambo in Ususfructu sed acquiritur Proprietas ei soli cui legatur fundus. *l. 6. ff. de Usufr. ear. rerum qua ipsu Consum. & l. 19. ff. de Usufr. legato.*

## X I.

Quamvis autem servitutes tam Reales quam personales accedant Corporibus, tamen sunt incorporales *l. 1. §. fin. ff. de Rerum divisione & l. 14. ff. de serv. & ideo traditionem non recipiunt l. 43. ff. de acq. Rer. D. & l. 20. ff. de serv.* Ususfructus autem verus constituitur in rebus Corporalibus non fungibilibus *§. 2. inst. h. t.* nec refert mobiles sint res an immobiles *l. 3. prin. & §. 1. l. 7. ff. h. t.* sed, ut dixi, ipse est incorporalis: & quoniam in rebus fungibilibus verus Ususfructus constitui non potest, Senatus tamen utilitatis causa censuit ut earum rerum quasi Ususfructus esse possit *l. 2. §. 1. ff. de usufr. ear. Rer. que usu Consum.* sub cautione tamen de earum æstimatione restituenda *l. 4. & 7. ff. eod.* Uti vero omnium bonorum donatio, sic Ususfructus eorum recte constituitur, nisi excedat dodrantis æstimationem *l. 29. ff. h. t.* nec refert utilitatem adferat Ususfructuario nec ne *l. 41. §. 1. ff. eod.*

## X I I.

Quamquam inter quasi Usumfructum à Triboniano enumerantur, vestes generaliter omnes, tamen primum spectanda est Testatoris voluntas, quam sequi oportet *Schotan. in Exam. Jurid. ad Tit. de usufr. ear. rer. quas usu Cons.* si vero de ea non constet distinguendum est inter Pompaticas: & Quotidianas. Quod ad Pompaticas attinet, earum quasi ususfructus non invenitur, sed & verus;

verus; & locari & gratis concedi possunt *l. 9. §. pen. ff. de usufr. quem. Cav. & l. 15. §. 4. & 5. ff. h. t.* In quotidianis vero quasi Ususfructus constituitur quotidie, quia usu quasi consumuntur *d. l. 15. §. 4. eod.* quod non ita in pompaticis *Hanedoesii Exer. Imp. Exerc. 8. quest. 19.*

X I I I.

Proprietarius durante Ususfructu nihil agere potest in præjudicium fructuarii *l. 13. §. 4. & l. 17. §. 1. ff. h. t.* imo nec consentiente fructuario servitute imponere prædio fructuario si ejus conditio inde deterior fuerit reddita, nisi religionis favore *l. 15. §. ult. & l. 16. & 17. ff. h. t.* Porro usufructuarius omnem utilitatem, tum ex re fructuaria tum ex alluvione ei adjecta percipit, sed in flumine nata insula non itidem *l. 9. §. 4. ff. h. t.* etiam venationum aut piscationum redditus, modo fructus fundi ex venatione constet *d. l. 9. §. 5. eod. & l. 62. d. t.* Sic quoque arborum demortuarum ex sylva non Cædua, at non si cui tempestate evulsæ, quibus tamen ad Villam fructuariam, vineasque fulciendas uti non prohibetur *l. 10. 11. 12. & 18. ff. h. t.* si cui insuper navis ususfructus concessus sit, potest eam navigatum mittere periculo domini in *l. 12. §. 1. ff. eod.*

X I V.

Fructuarius omnes fructus tam naturales lucratur quam industriales & Civiles; tamen naturales & industriales non aliter, suos facit, quam si eos ipse vel alius ejus nomine percoperit *l. 13. ff. quib. mod. usufr. amitt. nec refert maturi sint an immaturi modo ex immaturitate plus utilitatis pervenerit ad fructuarium. l. pen. ff. usu & usufr. leg.* Civiles vero quod attinet si quidem solvantur ex re singulis momentis usum præstante, Anni postremi pensiones, pro rata temporis, quo duravit ejus Anni Ususfructus, inter proprietarium & fructuarium dividendæ sunt. Si vero percipiuntur ex re, certis tantum temporibus Utilitatem adferentem  
 - somib  
 uti

uti pomarium &c. Sequentur naturam ipsorum fructuum *D. 7. Voet b. t. n. 7.* Naturales & industriales fructus, licet maturi, cum fructuarius discedit, tamen ad Hæredes non transeunt, quamvis maxima parte Anni ususfructus steterit & fructuarius suis impensis agros conseverit *l. 13. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 8. ff. annuo legat.*

## X V.

Si Thesaurum invenerit fructuarius, in fundo fructuario, non pertinet ad ipsum in totum, sed si non data opera eum invenerit, dimidia pars fructuarii erit, altera proprietarii *l. 63. §. 3. ff. Acq. R. D.* Uti in omni inventione thesauri, quia thesaurus inventus non est in fructu, nec lapides ab eo deducti nisi renascantur *l. 7. §. 13. & 12. ff. solut. mat.* Partus autem Ancillæ non est in fructu, quia homines in hominum fructu esse non possunt, sed quidem eorum operæ *§. 37. inst. de R. D. l. 28. ff. de usuris, l. 68. h. t. l. 3. & 4. ff. de op. serv.*

## X V I.

Parvas impensas ipse fructuarius in re fructuaria debet sustinere, quia cum ipsa re compensatæ censentur *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. l. 65. ff. h. t.* Regula enim est quod qui commoda sentit debet etiam onera sentire *l. 10. ff. de R. 7.* magnas impensas vero à proprietario repetit *d. l. 7. §. 2. ff. h. t.* quia nemo debet locupletior fieri cum alterius detrimento *l. 206. ff. R. 7.* Vectigalia tributa ac similia onera fructuarius debet agnoscere *l. 28. ff. de usu & usufr. leg.* nec refert an præterita ea sint, an post usumfructum demum imposita *all. l. 28. & l. 7. ff. de Publ. Vectigal.*

## X V I I.

Generaliter Usufructuarius debet colere, & ut bonus Paterfamilias uti: Hinc si gregis quis usumfructum habeat in locum demor-

demortuorum Capitem ex factu nova submittere debet §. 38. *inst. de R. D. l. 68. §. 2. l. 70. §. 3. ff. h. t.* aliunde ea petere opus non est *d. l. 68. & 69. eod.* in Arborum vero demortuarum loco debet alias submittere *l. 18. ff. eod.*

## X V I I I.

Supra Thesi sexta in fine, dictum est, non posse fructuarium consequi Ususfructum, nisi prius, Exigente Proprietario, præstiterit cautionem *l. 13. ff. h. t. l. 1. ff. quemad. usuf. Cav.* quæ consistit in duabus Partibus, quarum prior est se usurum boni viri arbitrato *d. l. 1. §. 3. eod.* altera, de finito Ususfructu restituendo, quod inde extabit *d. l. 1. prin. & §. 7. ff. eod.* vel in quasi Ususfructu, æstimatione §. 2. *inst. h. t.* Cavere autem debet vel datis fidejussoribus *l. 13. princ. h. t. l. 8. ff. de usuf. ear. rer. qua & c. l. 1. ff. qui satisd. Cog. l. 4. §. 8. ff. de fideicommiss. libert. l. 7. ff. prator. stip. vel si eos reperire nequeat, Idoneis fortè pignoribus *l. 21. §. ult. ff. const. pecun. l. 1. §. 9. ff. Collat. Bonorum* quæ si etiam non habeat, Judicis arbitrio res committenda est: ut si sit homo frugi bonus & probus, Juratoriæ Cautioni locus sit arg. *auth. generaliter Cod. de Episcop. & Clericis, & Nov. 112. Cap. 2.**

## X I X.

Si vero Cautio ab initio non sit præstita, medio tempore condici potest *l. 5. §. 1. ff. de usuf. ear. rer.* sic etiam res fructuaria vindicari potest, donec Cautum sit *l. 7. ff. usuf. quem. Cav.* Damni reparatio non tantum finito sed & durante Ususfructu & simul atque datum sit, repeti potest. *l. 1. §. 5. & 6. ff. eod.* si vero nec medio tempore Cautio exacta fuerit, res finito Ususfructu potest vindicari per proprietarium, damnaque repeti per actionem ex lege aquilia *l. 3. §. ult. l. 7. ff. eod. & l. 13. §. 2. ff. h. t.*

## XX. Si

## X X.

Si quis, exacta Cautione, præstare eam nolit, repellendus est à Commodo Usufructus donec Caverit all *l. 13. ff. h. t.* nisi ei necessitas fuerit remissa cavendi, qualis Primo Patri est in bonis adventitiis filiifamilias *l. ult. §. 4. Cod. de bon. qua lib.* secundo ei cui Usufructus pure proprietatis ex die relicta est *l. 9. §. 18. ff. ut leg. nom. Cav.* Tertio fisco. *d. §. 18. ff. ut leg. nom. cav.* Quarto si hæres fructuario remittat *l. pen. Cod. de Pactis.* at non si ipse testator *l. 7. Cod. ut in Possess. leg. l. 1. Cod. h. t.*

## X X I.

Finitur Usufructus Primo morte fructuarii *l. 3. §. 3. ff. quib. mod. Usufr. amit.* nec ad hæredem defertur, nisi specialiter etiam hæredi concessus sit, nam tunc ad hæredes Primos devolvitur *l. 14. §. 17. Cod. h. t. l. 38. §. 10. ff. de V. O.* Secundo maxima & media Capitis diminutione, quoniam talis mors est Civilis *l. 1. prin. ff. quib. mod. ususfr. amit. l. pen. §. ult. Cod. h. t.* Tertio non utendo per modum & tempus: modum si fructuarius re fructuaria secundum præscriptum vel à Testatore vel à Proprietario modum non utatur *l. 10. §. 1. l. 18. ff. quem. serv. amit.* Tempus in re mobili Triennio, immobili decennio inter Præsentes & Vicennio inter absentes *l. pen. §. 1. Cod. h. t.* Quarto rei interitu veluti si ædes incendio consumptæ sint vel terræ motu *l. 5. §. 3. ff. quib. mod. ususfr. amit.* Quinto cessione facta proprietario non vero extraneo, nam cedendo extraneo nihil agitur *§. 3. inst. h. t. l. 12. §. 2. l. 63. ff. h. t. & l. 67. ff. cod.* cum enim jus quod habeat ipsius Personæ cohæreat & cum ea extinguatur nihil impedit quominus commoditatem cuivis concedere possit, remanente jure in Persona Usufructuarii salvo *Hanedoesii exerc. Imp. Ex. 8. quest. 28.* Sexto: Consolidatione si Usufructuario proprietatis obvenerit *l. 3. §. ult. l. 6. ff. de ususfr. accrescend.* quæ etiam dicitur Confusio *l. 4. ff. ususfr. quemad. Cav.*

F I N I S.